IOSEPHI CASTALDII

EPISTOLA



NEAPOLI ANN. CIƆIƆCCCV
APVD ANGELVM CODAM

Publica Venia

IOHANNI ANDRESIO
SOCIETATIS IESV PRESBYTERO
DE RE LITTERARVM PVBLICA
IMMORTALITER MERITO
QVI
EDITIS VOLVMINIBVS
MVLTIIVGA ERVDITIONE
QVA LATE PATET HVMANARVM COGNITIONVM
CAMPVS
REFERTISSIMIS
GRANDE HVIC SAECVLO ADDIDIT ORNAMENTVM

IOSEPHVS CASTALDIVS
VERSICVLOS
QVIBVS ARCHIEPISCOPATVS DIGNITATEM
AMICO CVM PAVCIS COMPARANDO GRATVLATVR
HONORIS OBSERVANTIAE GRATIQVE ANIMI CAVSSA
DONAT NVNCVPATQVE



[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AD CL. V.

PROSPERUM DE ROSA

EX MARCHIONIBVS VILLAEROSAE

EQUITEM HIEROSOLYMAR.

VVIRVM I. D. IN CVRIA ADMIRATVS

Nil cupere, aut admirari, dulcissime PROSPER,
Res est sola, animum facere, et servare beatum
Quae possit: curis, caecoque cupidine quippe
Liber non vanis in imaginibus stupet, ulla
Nec rerum capitur specie. Ne sit tamen inde,
Omnia qui temnenda putet male providus. Est qui
Praemia virtutis longe fugit; ambitione
Vritur ast alius misera: hunc culpabit, et illum
Qui recta ratione uti bene noverit. Est nam
Quid medium, licet usque huc tendere, nec datur ultra:
Haec incorruptus judex probat, haec etiam Tv
Qui sapis, et merito. Summa est: NE QVAERAT HONORES,
OBLATOS NE CONTEMNAT, QVISQVIS BENE SANVS
VVLT AVDIRE. Rogas, quo res haec pertinet? audi.
Ille tot a puero Ossorius (1) qui signa futurae

Quae-

(1) VINCENTIVS CALA' OSSORIVS ex Villaenovae Marchionibus, Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus, Regiae Herculanensis Academiae XVvir, graece, latineque peritissimus nuperrime ob summam doctrinam, morumque sanctitatem Surrentinorum Archiepiscopus fuit renunciatus.

Virtutis manifesta dedit, volventibus annis
Praeceptam jam de se spem superavit, et auxit.
Hic recolas mecum Herculeae monumenta tot urbis
Illustrata viri curis, saxa, aera, papyros:
Adde et de sacris conscripta volumina rebus,
Quaeque olim sera juvenis vigilata lucerna
Edidit aetatem ferre omnia digna, diemque.
Atqui (quod mirere magis) non haec sibi famam,
Quo pareret fecit: mentem nil concutit aequam
Fama, peregrinas quae extendat nomen in oras.
IN SE ANIMVS GAVDET TOTVS TERES, ATQVE ROTVNDVS.
Ambitione igitur nunquam cor tabuit illi,
Nec titulis inhians meritos quaesivit honores.
Si quisquam facit hoc, sapientem dixeris ultro.
At latuisse diu virtus nequit, abdita quamvis,
Emicat: haec homini tantorum digna laborum
Praemia non quaesita dedit, summaque locavit
Relligionis in arce, pedo, insignemque tiara.
Munera tunc animus sectari nescius, ultro
Collatos non est nihili facere ausus honores.
Cur? Non appetere haud est aversarier, et qui
Appetit, aeque insanit ut aversatus. Id ergo
Illum etiam sanum bene praedicat. Adde quod (ipsi
Semper enim cordi fuit hoc, stimulusque juventae)
Vinea sic Domini propius colitur, meliusque.
Creditus interea populus rudimenta beata
Sorte queat meliore sibi sperare. Secundet
Omina laeta Deus. Nos si gaudere alienis

In-

Ingenui est incrementis, gratamur. At haec TE
Incrementa magis tangunt, doctissime PROSPER,
Cognita quem virtus tanto sociavit amico.
Non satis est igitur gratari; plura teneris.
Nos votis, precibusque Deum majora precamur.
Parvos parva decent. TV, quem videre benigno
Lumine Pierides, praeconia Praesulis aude
Carmine moeonio (TIBI fas) et facta sacrare:
Quemque suo sese modulo metirier aequum est.

FINIS.